

5. Item. Videtur quod inconvenienter dicatur: In principio, idest ante omnia. Quia, sicut dicitur in Libro de Causis (prop. iv.) prima rerum creaturarum est esse, & non est ante ipsum creatum aliud. Sed cœlum, & terra non sunt suum esse. Ergo ante cœlum, & terram aliquid creatum est.

6. Præterea. Eccli. xviii. 1. dicitur: Qui vivit in æternum creavit omnia simul. Ergo cœlum, & terra non sunt ante omnia creata.

7. Præterea. Cœlum, & Angelus sunt simul facta, ut infra dicetur. Ergo non ante omnia cœlum, & terra facta sunt.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod triplex expositio posita conveniens est secundum Sanctos, per quam multiplex error excluditur. Per primam excluditur error Manichæi ponentis plura principia: quia in principio uno effectivo, & non in pluribus, res factæ dicuntur. Per secundam excluditur error æternitatis mundi, in hoc quod mundus principium durationis habere ponitur. Per tertiam excluditur error ponentium visibilia à Deo creata mediante spirituali creatura, in hoc quod ponitur cœlum, & terra esse primo creata.

Ad primum ergo dicendum, quod ratio principii effectivi appropriatur Patri, sed ratio principii exemplaris per modum artis appropriatur Filio, qui est sapientia, & ars Patris.

Ad secundum dicendum, quod esse in, sicut in continente, & salvante, appropriatur Spiritui Sancto propter appropriatum bonitatis; sed esse in per modum quo artificiatum est in arte, & res in sua similitudine, appropriatur Filio.

Ad tertium dicendum, quod secundum illam opinionem quæ ponit omnia simul creata in materia informi, dicuntur res creatæ in principio temporis, quod mensurat motum primi mobilis, non sicut in mensurante creationem, sed sicut in adjacente creationi: quia simul fuerant rerum creatio, & temporis principium. Sed secundum aliam opinionem, quæ ponit res formatas per temporum successionem, non intelligitur de tempore quod est mensura illius motus, sed de tempore quod est numerus illius vicissitudinis, qua esse mundi succedit ad non esse ejusdem. Vel secundum alios sumitur tempus pro ævo, quod simul cum cœlo, & terra creatum est.

Ad quartum dicendum, quod sicut numerus non numeratur alio numero, ita nec tempus alio tempore mensuratur, nec fieri ejus, cum suum esse totum sit in fieri: unde incipit in principio temporis non sicut in mensurante esse ejus, sed sicut in eo à quo incipit ejus productio, ut animalis à corde, & domus à fundamento, & lineæ à puncto.

Ad quintum dicendum, quod loquitur Philosophus de ordine naturæ, prout animal prius homine dicitur, & non de ordine durationis: non enim fuit esse cœli, & terræ ante ipsa tempora.

Ad sextum dicendum, quod intelliguntur secundum unam opinionem omnia simul creata non in speciebus suis, sed in materia informi: sed secundum alios dicuntur omnia simul etiam in formis propriis; sed tunc hæc ante alia creata dicuntur, non duratione, sed naturæ ordine: secundum quod in via generationis est incompletam ante completum. Hæc tamen infra magis inquirentur.

(3) Al. & cur, & sic factus est &c.

Ad septimum dicendum, quod per cœlum etiam intelligitur angelica natura, quæ in cœlis habitare dicitur, & per terram intelligitur tota natura generabilium, & corruptibilium.

DIVISIO SECUNDÆ PARTIS TEXTUS.

DICTO exitu rerum à primo principio, hic prosequitur ordinem earum in ultimum finem: & dividitur in partes tres. In prima ostendit finem ultimum creaturarum. In secunda ex fine ostendit creaturarum diversitatem, ibi, Et quia non valet ejus beatitudinis particeps existere aliquis nisi per intelligentiam... fecit Deus rationalem creaturam. In tertia, ex distinctione concludit tractandi ordinem, ibi, Ex præmissis apparet, rationalem creaturam in Angelicam, & humanam fuisse distinctam. Secunda dividitur in tres. In prima ostendit ordinem spiritualis naturæ in finem; in secunda ordinem corporalis, ibi: Et sicut factus est homo propter Deum... ita mundus factus est propter hominem; in tertia ordinem conjuncti ex utroque, ibi: Solet etiam quæri cum majoris dignitatis esse videretur anima, si absque corpore permansisset, cur unita sit corpori. Circa primum duo facit. Primo ex fine concludit spiritualis naturæ institutionem; secundo concludit ordinem ipsius in finem, ibi: Ideoque si quærat, quare creatus sit homo, vel Angelus, brevi sermone responderi potest: Propter bonitatem ejus. Et circa hoc tria facit. Primo assignat finem ex parte agentis; secundo ex parte operis, ibi: Et si quærat, ad quid creata sit rationalis creatura, respondetur, Ad laudandum Deum; tertio conjungit utrumque, ibi: Cum ergo quæritur, quare, (3) vel ad quid facta sit rationalis creatura, brevissime responderi potest: Propter Dei bonitatem, & suam utilitatem. Circa hoc duo facit. Primo ostendit finem corporalis creaturæ; secundo excludit quamdam dubitationem, ibi: De homine quoque in Scriptura interdum reperitur quod factus sit propter reparationem angelicæ ruinæ.

QUÆSTIO II.

HIC quinque quærantur. Primo. Utrum Deo conveniat agere propter finem. Secundo. Utrum finis omnium sit Dei bonitas. Tertio. Utrum omnia sint propter hominem facta. Quarto. Propter quid homo ex anima, & corpore constitutus sit. Quinto. Utrum tali corpori anima ejus uniri debuerit.

ARTICULUS I.

Utrum Deo competat agere propter finem.

I. P. quæst. XLIV. art. 4.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod Deo non competit agere propter finem. Finis enim est terminus motus; unde in his quæ earent motu, sicut in mathematicis, non est finis, neque bonum, ut in III. Metaph. (text. 111.) dicitur. Sed Deus non producit res per motum, ut prius dictum est. Ergo sibi non competit propter finem agere.

2. Præterea. Finis est perfectio agentis; unde sicut

(1) In II. Sent. Tom. II.

materia appetit formam, ita agens finem. Sed Deo non competit ab aliquo perfici, cum sit primus movens, & perfectio summa. Ergo non agit propter finem.

3. Præterea. Unicuique agenti propter finem, melius est suum opus esse quam non esse: quia per illud finem consequitur, ut patet inducendo in singulis. Sed non melius, immo indifferens est Deo utrum creaturæ sint, vel non sint: quia bonorum nostrorum non eget. Ergo non agit propter finem.

4. Præterea. Actio ejus est ultimus finis rerum, quia est sua substantia. Sed finis ultimi non est alius finis. Ergo videtur quod actio ejus non sit propter finem. Sed contra. Omne agens quod non agit propter finem aliquem, opus ejus est vanum. Sed Dei opera non sunt hujusmodi: unde in Psal. lxxxvi. 11. 48. dicitur: Numquid enim vane constituisti omnes filios hominum? Ergo agit propter finem.

Præterea. Secundum Philosophum II. Metaph. (text. ix.) omne agens per intellectum, agit propter finem. Sed Deus est hujusmodi, cum sua scientia sit causa rerum. Ergo &c.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod agere aliquid propter finem est dupliciter: vel propter finem operis; vel propter finem operantis. Finis operis est hoc ad quod optus ordinatum est ab agente, & hoc dicitur ratio operis; finis autem operantis est quem principaliter operans intendit: unde finis operis potest esse in alio, sed finis operantis semper est in ipso; sicut patet in ædificatore, qui lapides congregat ad componendum eos; quod ista compositio, in qua consistit forma domus, est finis operis; sed utilitas quæ provenit ex hoc operanti, est finis ex parte agentis. Cum autem omne opus divinum in finem quemdam ordinatum sit, constat quod ex parte operis Deus propter finem agit. Sed quia finis operis semper reducit in finem operantis, ideo oportet quod etiam ex parte operantis, finis actionis ejus consideretur, qui est bonum ipsius in ipso. Sciendum est ergo, quod agere hoc modo, est dupliciter: vel propter desiderium finis, vel propter amorem finis: desiderium enim est rei non habitæ; sed amor est rei quæ habetur, ut Augustinus dicit (super Psal. cxviii. ser. viii. prope finem) & ideo omni creaturæ convenit agere propter desiderium finis, quia unicuique creaturæ acquiritur bonum ab alio quod ex se non habet; sed Deo competit agere propter amorem finis, cujus bonitati nihil addi potest. Ipse enim bonitatem suam perfecte amat, & ex hoc vult quod bonitas sua multiplicetur per modum qui possibilis est, ex sui scilicet similitudine, ex quo provenit utilitas creaturæ, in quantum similitudinem divinæ bonitatis recipit: & ideo dicitur in littera, quod Deus fecit creaturam propter bonitatem suam, considerando finem operantis; & propter utilitatem creaturæ, considerando finem operis: & propter hoc etiam dicit Augustinus (I. de Doctr. Christ. cap. xiiii.) quod in quantum Deus est bonus, sumus: & Dionysius dicit in iv. cap. de divin. Nom. quod divinus amor non dimisit eum sine germine esse.

Ad primum ergo dicendum, quod secundum Avicennam (Metaph. tract. vi. cap. i.) sicut est duplex agens, quoddam quod agit per motum, sicut naturale; & quoddam quod agit sine motu, dando esse; ita duplex est bonum, quoddam acquisitum In II. Sent. Tom. II.

per motum, & hoc est tantum in rebus naturalibus; & quoddam acquisitum sine motu in recipiendo influentiam agentis sine motu, & tale est bonum etiam in rebus immobilibus.

Ad secundum dicendum, quod illud quod agit propter desiderium finis, habet finem extra se; quo perficitur. Hoc autem non convenit Deo qui agit propter amorem finis, quia ipsemet est sibi finis à se habitus, & amatus: & ideo dicimus, quod divina voluntas non est perfecta quodam alio, sed seipsa, quia ipsa voluntas est bonitas.

Ad tertium dicendum, quod omne id quod agit propter desiderium finis, per actionem suam ordinatur ad consecutionem desiderati. Unde oportet quod apud eum differat an sit, vel non sit suum opus. Non autem apud eum qui agit propter finis amorem, quia non agit ad acquirendum aliquod bonum.

Ad quartum dicendum, quod actio divina est essentia ejus: & ex hac parte non quæritur finis ejus; sed ex parte illa qua effectum creaturæ communicat.

ARTICULUS II.

Utrum creaturæ sint propter bonitatem Dei.

I. P. quæst. XLIV. art. 4.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod creaturæ non sint propter Dei bonitatem. Sicut enim in I. Cœl. & mun. (text. xxxii. & lvi. 11.) dicitur, nihil movetur naturaliter propter illud quod consequi non potest. Sed nulla res potest consequi divinam bonitatem: quia ipsa non recipitur ut perfectio alicujus creaturæ, vel forma. Ergo res non sunt ordinatæ naturaliter in ipsam.

2. Præterea. Ut in II. Cœl. & mun. (text. xvii.) dicitur, omnis res est propter suam operationem; & res sempiterna vel incorporalis, est propter sempiternalitatem sui esse. Sed esse rei, & operatio non est extra ipsam. Ergo videtur quod non sint propter Dei bonitatem, quæ est à rebus separata, & impermixta.

3. Præterea. Omnis res producitur ab agente propinquius fini, quantumcumque potest. Sed quanto aliquid est melius, & diuturnius, magis ad divinam bonitatem accedit. Ergo fecit unumquodque quantumcumque melius potuit, & ab æterno, si facere potuit: quæ cum falsa sint, videtur quod bonitas Dei creaturarum finis non sit.

4. Præterea. Divina bonitas est sua beatitudo. Sed beatitudinis ejus non est capax nisi intellectualis creaturæ, ut in littera dicitur: Ergo non omnis creaturæ finis est divina bonitas.

Sed contra. Hoc propter quod res fit est finis ejus. Sed, sicut dicitur Prover. xvi. 4. universa propter semetipsum operatus est Dominus. Ergo videtur quod ipse sit finis omnium.

Præterea. Bonum habet rationem finis, ut in III. Metaph. (text. 111.) dicitur. Ergo & summum bonum habet in Deo rationem finis ultimi. Sed divina bonitas est summa bonitas. Ergo ipsa est ultimus rerum finis.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod finis, & agens proportionantur ad invicem, sicut materia, & forma. Unde secundum differentiam agentis est differentia finis. Est autem duplex agens. Quoddam quod sus-

C

ipienti suum effectum est proportionatum: unde formam ejusdem speciei, vel rationis in effectum inducit, sicut in omnibus agentibus univocis, ut ignis generat ignem, & domus quæ est in anima artificis, causat domum quæ est in materia. Quoddam vero agens non est proportionatum recipienti suum effectum. Unde effectus non consequitur speciem agentis, sed aliquam similitudinem ejus quantum potest, sicut est in omnibus agentibus æquivoce, ut sol calefacere dicitur. Ita etiam est duplex finis. Quidam proportionatus ei quod est ad finem; & talis finis acquiritur ut perfectio in eo quod ad finem est, sicut sanitas per operationem medicinæ. Est etiam quidam finis improporcionabiliter excedens illud quod est ad finem; & hic non acquiritur ut perfectio inhærens ei quod est ad finem, sed aliqua similitudo ejus: & talis finis est divina bonitas in infinitum creaturas excedens; & ideo non acquiritur in creatura secundum se, ita ut sit forma ejus; sed aliqua similitudo ejus quæ est in participatione alicujus bonitatis: & ideo omnis appetitus naturæ, vel voluntatis tendit in assimilationem divinæ bonitatis, & in ipsammet tenderet, si esset possibilis haberi ut perfectio essentialis, quæ est forma rei. Sed tamen ipsamet divina bonitas potest acquiri à creatura rationali ut perfectio, quæ est objectum operationis, in quantum rationalis creatura possibilis est ad videndum, & amandum Deum. Et ideo singulari modo Deus est finis, in quem tendit creatura rationalis, præter modum communem quo tendit in ipsum omnis creatura, in quantum scilicet omnis creatura desiderat aliquod bonum, quod est similitudo quædam divinæ bonitatis. Et ex hoc patet quod in omni bono summum bonum desideratur.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis res non acquirat divinam bonitatem, tamen acquirit aliquam similitudinem ejus: & ex hoc dicitur finis.

Ad secundum dicendum, quod ipsa operatio est ultima perfectio in qua res existit: habitus enim, & potentia imperfectionem dicunt; & ideo idem est rei esse propter suam operationem, & propter divinam bonitatem, ad quam maxime accedit, secundum quod maxime est in actu perfecto. Similiter etiam ipsa sempiternitas essendi est quædam assimilatio divinæ bonitatis: & propter hoc perpetuitas specierum vocatur à Philosophis divinum esse.

Ad tertium dicendum, quod finis non est causa rei, nisi secundum quod est in voluntate agentis: & ideo ipsa bonitas divina secundum modum, & ordinem quo est ab eo volita, est finis rerum. Et ideo tunc unaquæque res maxime ad suum finem accedit, quando imitatur divinam voluntatem, secundum quod de ipsa re dispositum est à Deo.

Ad quartum dicendum, quod cum bonitas Dei sit finis rerum, ad ipsam res diversimode se habent. Ipse enim Deus habet eam perfecte secundum suum esse, unde summe bonus est; & etiam secundum suam operationem, qua perfecte eam cognoscit, & amat: unde beatus est, quia beatitudo est operatio perfecta, secundum Philosophum (Lib. VII. Mor. cap. xiii. & Lib. IX. cap. x. & Lib. X. cap. xvi. & xvii.) Creatura autem intellectualis non attingit ad eam secundum suum esse, ut ipsa sit summum bonum, sed secundum operationem, intelligendo, & amando eam: unde particeps est beatitudinis, & non tantum bonitatis divinæ. Sed creatura irrationalis accedit ad eam secundum aliquam assimilationem,

(1) *Al. deest quidem.*

quamvis non pertingat neque sectandam operationem, neque secundum esse: unde est particeps bonitatis, sed non beatitudinis.

## ARTICULUS III.

*Utrum omnia sint facta propter hominem.*

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod non omnia sint facta propter hominem. Finis enim est intentus ab agente. Sed humana natura non potest esse intenta à Deo, quia nullius intentio est ad hoc quod est vilius se. Ergo videtur quod Deus non fecit omnia propter hominem.

2. Præterea. Sicut universale agens non est nisi primum agens, ita universalis finis non videtur esse nisi finis ultimus. Sed homo non est finis ultimus creaturæ, sed divina bonitas, ut dictum est. Ergo non est finis omnium creaturarum.

3. Præterea. Non est sapientis artificis facere multa magna instrumenta propter aliquod parvum. Sed humana natura est quasi quoddam minimum in universo. Ergo videtur ridiculum quod totum universum propter hominem factum sit.

4. Præterea. Illud quod non juvat ad id propter quod fit, est superfluum, & inane. Sed multa sunt in universo quæ sunt homini nociva, ut serpentes, spinæ, & hujusmodi: multa sunt etiam ex quibus nullum juvamentum habet, sicut aliqui pisces in profundo maris existentes. Ergo cum nihil sit vanum in operibus Dei, videtur quod non omnia propter hominem facta sint.

Sed contra est quod dicitur in II. Physic. (text. xxiv.) quod sumus & nos quodammodo finis omnium.

Præterea. Ordo universi est finis totius creaturæ. Sed in homine est quædam similitudo ordinis universi: unde & minor mundus dicitur, quia omnes naturæ quasi in homine conflunt. Ergo videtur quod ipse sit quodammodo finis omnium.

## SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod finis alicujus rei dicitur dupliciter: vel in quem tendit naturaliter, vel ex eo quod ad ipsum sicut ad finem ordinari dicitur, ut utilitatem aliquam consequatur, secundum intentionem, & ordinem agentis. Utrouque autem modo homo finis creaturarum dicitur; & primus (1) quidem ex parte operis, sed secundus ex parte agentis. Differenter tamen homo dicitur finis, & divina bonitas: quia ex parte agentis divina bonitas est finis rerum, sicut ultimum intentum ab agente; sed natura humana non est intenta à Deo quasi movens voluntatem ejus, sed sicut ad cujus utilitatem est ordinatus effectus ejus. Ipse enim duplicem ordinem in universo instituit, principalem scilicet, & secundarium. Principalis est secundum quod res ordinantur in ipsum; & secundarius est secundum quod una juvat aliam in perveniendo ad similitudinem divinam: unde dicitur in XII. Metaph. (text. lxi.) quod ordo partium universi ad invicem est propter illum ordinem qui est in bonum ultimum; & sic dicitur esse propter aliud omne illud ex quo provenit ei utilitas. Sed hoc contingit dupliciter: aut ita quod illud ex quo provenit alicui utilitas, non habeat participationem divinæ bonitatis, nisi secundum

quodammodo

(1) *Al. deest quidem.*

dum ordinem ejus ad hoc cui est utile, sicut sunt partes ad totum, & accidentia ad subjectum, quæ non habent esse absolutum, sed solum in altero; & talia non essent, nec fierent, nisi illud esset, (2) cui ex eis provenit utilitas. Sed quædam sunt quæ habent participationem divinæ bonitatis absolutam, ex qua provenit aliqua utilitas alicui rei, & talia essent, etiam si illud cui provenit ex eis utilitas non foret: & per hunc modum dicitur, quod Angeli, & omnes creaturæ propter hominem à Deo factæ sunt; & sic etiam homo factus est propter reparationem ruinæ angelicæ: quia hæc utilitas consecuta est, & à Deo prævisa, & ordinata. Similiter ex parte operis ipsæ creaturæ tendunt in divinam bonitatem sicut in illud cui per se assimilari intendunt. Sed quia optimo assimilatur aliquid per hoc quod simile fit meliori se, ideo omnis creatura corporalis tendit in assimilationem creaturæ intellectualis quantum potest, quæ aliori modo divinam bonitatem consequitur: & propter hoc etiam forma humana, scilicet anima rationalis, dicitur esse finis ultimus intentus à natura inferiori, ut in II. de Anima (text. xxxvii.) dicitur.

Ad primum ergo dicendum, quod homo non hoc modo dicitur esse finis sicut intentum ab agente, quia hæc est ratio finis ultimi, & principalis; sed sicut ad quod ordinatum est opus agentis aliquo modo, ut dictum est.

Ad secundum dicendum, quod homo non est finis omnis creaturæ sic ut ultimo intentum ab omni creatura, sed sicut illud cui provenit utilitas ex omni creatura: & hoc contingit propter communicationem ejus cum omni creatura, ut dicit Gregorius (ubi supra.)

Ad tertium dicendum, quod omnis creatura corporalis, quantumcumque sit magna quantitate, est tamen inferior homine ratione intellectus. Unde non est inconveniens, si omnis creatura talis etiam in assimilationem ejus tendit, in quantum per hoc summæ bonitati assimilatur. Sed Angeli sunt nobiliores homine secundum conditionem naturæ: unde non sunt propter hominem prædicto modo, sed solum sicut ex quibus provenit homini utilitas: sicut si diceretur Regem esse constitutum propter aliquem rusticum, cui provenit utilitas pacis propter leges Regis.

Ad quartum dicendum, quod hujusmodi non fuerunt à principio homini nociva; sed postea per peccatum nociva sibi facta sunt; ex quibus tamen aliqua utilitas sibi provenit, dum per hoc humilior fit, & in talibus etiam vilibus gloriam, & sapientiam Dei considerat. Et sic etiam in utilitatem cedunt ea quæ in usum operis ejus non veniunt, dum de eis aliquam cognitionem habet, vel in universali, vel in particulari. Tamen auctoritas Philosophi in V. Physic. (text. iv.) in contrarium inducta, intelligitur de rebus artificialibus.

## ARTICULUS IV.

*Utrum anima rationalis debeat uniri corpori.*

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod anima rationalis corpori uniri non debuit. Ea enim quæ sunt ad finem, determinantur secundum rationem finis. Sed anima rationalis est propter divinam beatitudinem, & bonitatem. Ergo cum per

In II. Sent. Thom. II.

(2) *Al. cui eis.*

corpus impediatur à participatione divinæ beatitudinis, quia per operationes corporales impeditur anima à contemplatione spiritualium, videtur quod corpori uniri non debuit.

2. Præterea. Illud quod habet per se esse subsistens, non unitur alteri nisi accidentaliter, quia quod advenit post esse completum, est accidens. Sed anima est quiddam in esse suo subsistens: alias post corpus remanere non posset. Ergo non est unibilis, ut ex ea, & corpore fiat unum essentialiter.

3. Præterea. Ea quæ maxime distant, non ununtur nisi minima conjunctione. Sed anima, & corpus maxime distant, ut in littera dicitur. Ergo cum conjunctio formæ ad materiam sit secundum maximam unionem, videtur quod anima non sit corpori unibilis, sicut forma materiæ.

4. Præterea. Potentiæ animæ fluunt ab essentia ejus. Sed principium non potest esse simpliciter principio à quo fluit. Cum ergo quædam potentia animæ nullius corporis actus sit, ut intellectus, & voluntas; videtur quod nec essentia animæ rationalis.

Sed contra. Divinæ bonitatis est omnes gradus creaturarum universi complere. Sed quædam creaturæ sunt pure corporales, quædam pure intellectuales. Ergo ad completionem universi oportet esse creaturam ex corporali, & intellectuali natura compositam.

Præterea. Intellectus possibilis secundum Philosophum in III. de Anima (text. xiv.) est sicut tabula in qua nihil est scriptum. Sed non potest perfici ut scribatur aliquid in eo nisi per species in sensibus receptas. Ergo oportet quod uniat corpori organico sensibili.

## SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod causa finalis ipsius conjunctionis animæ & corporis assignatur in littera à Magistro sufficienter. Finis enim potest sumi vel ex parte agentis, vel ex parte ipsius operis. Ex parte agentis, scilicet Dei, finis est bonitas ejus, secundum quod cadit in voluntate ipsius volentis bonitatem suam in res diffundere: & hæc est prima ratio quam Magister assignat. Ex parte autem operis, finis intentus est pertingere in assimilationem divinæ beatitudinis. Hoc autem est secundum esse ejus, prout ipsa conjunctio animæ & corporis est quædam similitudo divinæ beatitudinis, qua conjungitur spiritus Deo: & hæc est secunda ratio quam assignat. Et etiam secundum operationem, prout scilicet anima per operationes quas in corpore exercet, ad divinam beatitudinem accedit merendo, & hæc est tertia ratio.

Ad primum ergo dicendum, quod si anima non esset corpori unibilis, tunc esset alterius naturæ: unde secundum hanc naturam quam habet, non potest melius ad divinam bonitatem accedere quam per hoc quod unitur corpori.

Ad secundum dicendum, quod quiddam advenit rei subsistenti, ita quod ex ipsius adventu novum esse constituitur, oportet accidentaliter advenire, quia unius rei non potest esse nisi unum esse essentialiter: unde aliud esse superveniens erit accidentale. Sed corpus adveniens animæ trahitur in consortium illius esse à quo anima subsistere potest, quia forma suum esse materiæ dat; quamvis

C2

alia

aliae formae non possunt subsistere in illo esse, sicut potest anima.

Ad tertium dicendum, quod propter hanc objectionem Plato posuit, ut Gregorius Nyssenus (a) narret, quod anima est in corpore sicut motor in mobili, ut nauta in navi, & non sicut forma in materia: unde dicebat, quod homo non est aliquid ex anima, & corpore, sed quod homo est anima utens corpore: & propter hoc etiam quidam quaesierunt quaedam media inter animam & corpus, ut spiritum corporalem, animam vegetabilem, & sensibilem, & lucem, quibus medianibus anima rationalis corpori uniretur: quae omnia absurda sunt secundum Philosophiam, & improbara à Philosopho in VIII. Metaph. (text. xi. & xvi.) Et ideo dicimus quod essentia animae rationalis immediate unitur corpori sicut forma materiae; & figura cerae, ut in II. de Anima (text. vii.) dicitur. Sciendum ergo, quod convenientia aliquorum potest attendi dupliciter: aut secundum proprietates naturae; & sic anima, & corpus multum distant: aut secundum proportionem potentiae ad actum; & sic anima, & corpus maxime conveniunt. Et ista convenientia exigitur ad hoc ut aliquid uniat alteri immediate ut forma: alias nec accidens subiecto, nec aliqua forma materiae uniretur; cum accidens, & subiectum etiam sint in diversis generibus, & materia sit potentia, & forma sit actus.

Ad quartum dicendum, quod in formis est quidam gradus nobilitatis; & quanto aliqua forma est nobilior, tanto plus materiae praedominatur: unde forma terrae est magis materialis quam forma aeris, vel ignis. Inter autem omnes formas animae rationalis nobilior est, unde maxime praedominatur materiae. Omne autem quod unitur alteri ut vincens, & dominans, super illud habet effectum non solum secundum conjunctionem sui ad alterum, sed etiam per se absolute, in quantum non dependet ab illo cui unitur, sicut patet in igne candelae, cuius lumen extenditur ultra ascensionem vaporis, & calefactionem. Unde quaedam vires ab anima provenire possunt quae sunt corporis actus, & quaedam sunt ab organis corporalibus absolute: quamvis enim essentia animae corpori uniat ut forma, non tamen sicut forma materialis non habens esse absolute in quo subsistere possit.

## ARTICULUS V.

*Utrum anima humana tali corpori debuerit uniri.*

*I. P. quæst. lxxvi. art. 5. & II. contra Gen. cap. lxxi.*

1. **A**D quintum sic proceditur. Videtur quod tali corpori uniri non debuit. Cum enim forma proportionetur materiae, nobilissimae formae debetur nobilissimum corpus. Sed corpus caeleste est nobilissimum corporum. Ergo videtur quod corpori caelesti debeat uniri anima, quae est nobilissima formarum.

2. Praeterea. Simplicis formae magis proportionatur corpus simplex quam compositum. Sed anima est simplicissima formarum. Ergo non debet uniri composito, sed simplici.

(1) *Al.* scilicet per hoc. (2) *Al.* inveniunt.

Ex Edit. P. Nicolai. (a) Lib. II. de anima cap. v. etsi Nemesii potius opus illud quam Gregorii esse notat, & probat Bellarminus de Script. Eccl. ac Nemesii nomine Bibliotheca PP. habet.

3. Praeterea. Corpus organicum est magis difforme quam corpus homogeneum. Sed anima est simplicissimus motor. Ergo corpus cui unitur sicut mobili, debet esse homogeneum, & non organicum.

4. Praeterea. Quanto corpus est subtilius, tanto magis accedit ad nobilitatem formae, & continentis. Sed ignis est subtilissimum corpus: unde in II. de generatione dicitur, quod habet plus de specie. Ergo videtur quod ad minus secundum praedominium ignis debeat esse in corpore animato, cuius contrarium ostendit motus gravis quem habet: unumquodque enim movetur motu praedominantis in ipso, ut in I. de Caelo & mundo dicitur.

Sed contra est quod dicitur Genes. 11. 7. *Formavit Deus hominem de limo terra.* Et hoc etiam ad sensum videmus.

## SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod oportuit talem formam, scilicet animam rationalem, corpori bene complexionato uniri: cuius rationem assignat Avicenna (de Intelligentis cap. x. part. 2. & deinceps) dicens, quod oportet ordinem perfectibilium esse secundum ordinem perfectionum. Inter omnes autem perfectiones illa est nobilissima quae movet caelum, cui inter omnes alias perfectiones maxime anima rationalis assimilatur: & ideo corpus oportet quod sit simillimum caelo. De nobilitate autem corporis caelestis est quod non habet contrarium: unde quanto plus corpus separatur a contrarietate, simillius caelo efficitur. Hoc autem non potest esse in generabilibus, & corruptibilibus hoc modo quod a contrariis omnimode absolvantur, scilicet calido, & frigido, (1) per hoc quod (2) conveniunt ad medium, quia medium neutrum extremorum est actus: & ideo illud corpus quod venit ad maximam aequalitatem mixtionis, est simillimum caelo; & tale corpus debet esse corpus humanum: & inde est quod dicitur II. de Anima (text. xciv.) quod homo habet meliorem tactum ceteris animalibus: & quanto est melioris tactus, tanto est melioris intellectus, quia subtilitas tactus sequitur aequalitatem complexionis. Instrumentum enim tactus debet esse in potentia respectu suorum sensibilium sicut medium, & non privatio, sicut pupilla est potentia album, & nigrum, ut in eodem Libro (text. cxix.) dicitur.

Ad primum ergo dicendum, quod corpus caeleste est nobilior quam corpus humanum, & perfectio sua est nobilior quam anima humana. Sed, sicut dicit Commentator in Lib. I. de substantia orbis, cap. 11., corpus caeleste non est generabile, neque corruptibile, sicut corpus humanum; & ideo non indiget perfectione terminante ipsum sensibilicando, & vegetando, sed qua moveat ipsum in loco: & quaecumque sit virtus illa, sive Deus, sive Angelus, est superior in natura quam anima humana, quae est motor corporis humani; & corporeitas caeli quam corporeitas corporis humani.

Ad secundum dicendum, quod corpora simplicia maxime remouentur à similitudine caeli, in quantum in eorum natura est habere contrarium cum intentione, & ideo corpori tali anima rationalis uniri non debuit.

Ad tertium dicendum, quod anima rationalis quam-

quamvis sit simplex in essentia, tamen est multiplex in potentiis, & operationibus: & ideo oportet quod corpus suum multa habeat organa ad diversas operationes apta: & propter hoc natura dedit homini manus, quibus plurimas operationes facere potest; & propter hoc etiam quanto anima est minus nobilis, requirit minorem diversitatem in organis, sicut patet in plantis, & in animalibus annulosis.

Ad quartum dicendum, quod elementa quanto plus habent de specie, & de qualitatibus activis, tanto plus habent de virtute agendi: unde non posset fieri adaequatio, nisi de elemento magis materiali esset plus secundum quantitatem, vel materiam. Ideo oportet corpus humanum secundum quantitatem habere plus de terrestri, quamvis non secundum qualitatem, quia in corpore vivo dominatur calidum: unde in Libro de Anima dicitur, quod nihil est sensitivum sine calore, & quod calor ignis est instrumentum animae. Et quia gravitas, & levitas, quae sunt principia motus localis, consequuntur quantitatem materiae, ideo motus gravis apparet in corpore humano.

## EXPOSITIO TEXTUS.

**P**lato namque tria initia existimavit. Sciendum, quod in hoc Plato erravit, quia posuit formas exemplares per se subsistentes extra intellectum divinum, & neque ipsas, neque materiam à Deo esse habere.

Aristoteles vero duo principia dixit. Videtur imperfecte tangere positionem eius: quia ipse ponit tria principia in I. Phys. materiam, formam, & privationem.

## DISTINCTIO II.

*Quae consideranda sunt de Angelis.*

**D**E angelica itaque natura haec primo consideranda sunt, quando creata fuerit, & ubi, & qualis facta sit, dum primo conderetur. Deinde qualis effecta sit aversione quorundam, & conversione quorundam. De excellentia quoque, & ordinibus, & donorum differentia, & de officiis, ac nominibus, aliisque pluribus aliqua dicenda sunt.

*Quando facti sunt Angeli, prius dicit: in quo videntur sibi obviare auctoritates.*

**Q**Uaedam auctoritates innuere videntur quod ante omnem creaturam creati sunt Angeli. Unde illud (Eccl. 1. 4.), Primo (1) omnium creata est sapientia: quod intelligitur de angelica natura, quae in Scriptura saepe vita, sapientia, & lux dicitur. Nam sapientia illa quae Deus est, creata non est: Filius enim sapientia Patris est genita, non facta, nec creata: & tota Trinitas una sapientia est, quae non facta, nec creata est, nec genita, nec procedens. De angelica ergo vita illud accipiendum est, de qua dicit Scriptura quando facta est, scilicet primo omnium. Sed rursus alia Scriptura dicit (Gen. 1. 1.), In principio creavit Deus caelum, & terram: & in Propheta (Psalm. ci. 26.), Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt caeli. Et vide, ut quaedam contrarietas oriri ex assertionibus istis. Nam si primo omnium creata est sapientia, omnia post ipsam facta videntur; & ita post ipsam facta videntur caelum, & terra, & ipsa facta ante caelum, & terram. Iterum si in principio creavit Deus caelum, & terram; nihil factum est ante caelum, & terram. Ergo nec ipsa sapientia facta ante caelum, & terram. Cum ergo haec contraria videantur, nec in divina Scriptura fas sit sentire aliquid esse contrarietatis, requiramus intelligentiam veritatis.

*Quid*

(3) *Vulgata* prior omnium.

(1) *Quae sequuntur, quæstione 11. art. 5. post responsionem ad quartum confuse ponebantur in editionibus quas vidimus omnibus, præter Parisinam à Nicolajo curatam, in quæ separatim habetur cum hoc titulo, Appendix ad expositionem textus, quæ superius præmissa est, scilicet immediate post Magistri textum, ut in illa editione semper fit.*